

*manus tua ducet me, & apprehendet me
dextera tua, &c.*

(*Hic secum David deliberat & dubitat si ve nescit, quò fugere à Domino debeat. Definitur autem Addubitatio deliberatio nobiscum, quia tacitè quasi nobiscum deliberamus quid acturi simus. Utrum scilicet de hoc vel illo dictum; utrum hoc vel illud facturi aut intermissuri simus, &c. Deliberatio verò est, cum varias tanquam consultationis rationes subinde interrogamus, quo in genere suspensis diutius audientium animis, aliquando inexpectatum quidpiam expectatione ipsa majus aut minus statuit, Tala. l. 1. c. 34.)*

Differt Addubitatio & seqq. figuræ sententiæ à præcedentibus; quia illæ fuerunt in logismo, hoc est, simplici consideratione uniúsque sermone: hæ verò sunt in dialogismo, ubi conjuncta quædam propter interrogationem & responsonem considerantur; *Claud. Minos, ad Tal. cap. 34.*

Exempla alia.

Luc. 16. 3. Ait dispensator intra se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco.

1. Cor. 11. 22. Quid vobis dicam? laudabo vos in hoc? Non laudo.

Phil. 1. 22. Addubitatur Paulus utrum melius sit vivere an mori? Quid eligam, inquit, ignoro. Coarctor enim è duobus: desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne; magis necessarium propter vos.

Hieron. in Epitaph. Nepotian. Quid agimus anima? quo nos vertimus? quid primum assumimus? quid tacemus?

Cic. de invent. Sape & multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi & summum eloquentiæ studium.

Pro-